

tem ad devitandam ignominiam exponat. Generaliter namque loquitur textus, *So ein Weib/* quæ vox ad conjugem pariter & meretricem seu scortum extendi potest. (4) Hoc crimen est *satis atrox* & à sensu humano alienum, quod à nullo barbaro admitti credibile est. *N. 153.* quandoquidem non tantum necare videntur, qui alimoniam denegant, *l. 4. ff. de agnosc. & alend. liber.* sed & ipsi videntur expositi infantis interitum intendere, qui eum periculo vitæ exponunt: quod tamen bruta animalia non faciunt. Ut exinde istæc inhumanitas exponentium infantes suos sit homicidiò deterior, quatenus erga calamitosiores exercetur. *l. fin. C. de infantib. exposit. & N. 153. c. 1. in fine.* Nam infantes isti expositi sunt satis calamitosi, dum nesciunt, quid ipsis fiat: sed jacent in periculo vitæ constituti, nec sibi metipsis auxiliari possunt.

In hoc Articulo duos casus circa pœnam expositoribus infantum infligendam oportet distingvere: Vel enim expositus infans manet incolumis, & ab alio repertus tollitur, & nutritur: Vel infans expositus moritur. In priore casu locum habet simpliciter *Pœna arbitraria* è consilio Prudentum definienda. Ita enim ait textus: *Mulier quæ infantem suum animo alienandi & derelinquendi ne eum teneatur alere, exposuit, iste tamen repertus postea tollatur & nutriatur, si de hoc crimine legitime fuerit convicta, ex consilio & arbitrio Prudentum punienda est.* Pœna autem non est, uti Moller. *l. 4. c. 5. num. 7. Semestr. p. 449.* & Colerus *part. 1. Decis. 158. num. 2. p. 355.* volunt, fustigatio, sed saltem *Relegatio*; quoniam hæc pœna nostro textui valdè est conveniens; nam ibi expressè dicitur: *Quod si infans expositus moriatur, quòd tum istius mater juxta occasionem periculose expositionis vel mortis vel corporis afflictiva pœna afficienda sit:* Inde sequitur à contrario sensu: Ut, si infans expositus non moriatur, sed incolumis adhuc reperiatur, mater neque ultimo supplicio, neque pœna quadam corporis afflictiva, uti est fustigatio, coerceri, sed pro arbitrio judicis puniri debeat, quia in casu dubio, quando certa pœna legibus expressa non est, semper mitior & benignior sententia eligenda est. Unde pro ratione circumstantiarum ejusmodi delinquens vel perpetua vel temporali relegatione, nonnunquam etiam carcere puniri potest. Quam sententiam tuetur *Carpzov. part. 1. Qu. 10. num. 17. 18. 19. fol. 47. Pr. Crimin.* *Hahnus ad Wesemb. Parat. ff. ad L. Cornel. de Sicar. n. 14. fol. 519.* Alimentatio tamen expositi & reperti infantis regulariter spectat ad Judicem, qui eo in loco Jurisdictionem superiorem habet: Et licet causa educandi infantem expositum per se criminalis non sit; oritur tamen à